



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733


VD18 12431648

Consideratio CLX. De pretioso sanguine Domini nostri Jesu Christi crucifixi
optimo pro liberandis animabus purgantibus remedio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

Psal. 135.

dimitti peccata tua, sicut ille cupit peccata tua tibi dimittere. Ipse enim, ut peccata à nobis tolleret, unigenito Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. O verba consolatione plena, quoniam in aeternum misericordia ejus, quæ dulcia verba Propheta Regius à Spiritu Sancto inspiratus in uno Psalmo vigesies septies repetiit. Igitur non simus segnes, nec moras nequamus, sed quàm primùm ex toto & sincero corde ad Crucifixum Jesum nos convertamus, ipse enim poterit nos liberare à servitute peccati, & asserere in libertatem filiorum Dei; idè de cælo descendit, carnem nostram assumpsit, de Virgine natus, conversatus in mundo, miracula patravit, mira egit, durissima passus est. Et cur hæc omnia? ut peccatores salvos faceret, inter quos ego primus sum &c.



CONSIDERATIO CLX.

De pretioso Sanguine D. N. J. Christi
Crucifixi, optimo pro liberandis animabus pur-
gantibus remedio.

In sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu.
Zach. 9. 11.

I.

ZAcharias Propheta, ubi in spiritu prævidit Christum Dominum Salvatorem nostrum in carne venturum, & ut Regem mittem ac humilem sedentem super asinam, tanquam Messiam & orbis triumphatorem Jerusalem ingressurum, mox ad illius passionem & crucis mortem descendit, ubi advertit, quod ex lacu vinctos diversos proprio suo sanguine in optatam libertatem educiturus: *Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.*

Zach. 9. 11.

Cornel. hic.

Quæres hic, qualis hic lacus, & vincti illi fuerint, quos pierrimus Dominus per pretiosum Sanguinem suum liberavit, & in libertatem asseruit? R. Cornelius cum pluribus SS. Patribus, quod Zacharias

rias Propheta hinc alluserit ad pretiosissimum orbis Redemptorem in cruce mortuum, qui mox à morte ad limbum Patrum, & ad animas in purgatorio igne detentas descendit, easque per fufum in cruce Sanguinem suum de illo inferni lacu liberavit, quibus generale indulfit jubilæum: *Multi*, inquit hic Cornelius, *probabiliter censent, Christum omnibus animabus in purgatorio existentibus suo ad eos descensu dedisse primum, plenumque jubilæum, omnesque à pœnis liberasse & secum in triumphum duxisse.* Cornel. in Eccli. 24. 25.

2. Rahab in excidio Jeruchuntino cum omni familia sua per funiculum coccineum è fenestra suspensum salutem invenit: *At illa ap- pendit funiculum coccineum in fenestra.* Per hunc funiculum coccineum Divus Hieronymus pretiosum Christi JESU Crucifixi Sanguinem subaudit, per quem ab interitu liberati, & salvati sumus; hunc quoque summo desiderio sitiunt purgantes animæ divinissimum Sanguinem, clamantes ad nos quotidie (sed sub alio sensu quam olim Judæi) *Sanguis eius super nos, de quo canit Ecclesia in hymno: Divina cujus charitas sacrum propinat sanguinem. Almq̃ue membra corporis. Amor Sacerdos immolat. Hic animarum purgantium & cibus & potus est.* Matth. 27. 25. Sabb. in Albis,

3. Mandavit quondam Moyles, ut, si quis peccasset, victimam DEO immolaret pro peccato, quod si fecerit, propitium Deum sit inventurus: *Propitius erit ei Deus.* Sed quomodo propitius? Respondeo per victimam innocentem in animo contrito & humiliato Deo oblata, & per ejus profusum, ac dispersum in eum sanguinem. Ubi observandum, quòd omnia hæc illis facta sint in figura, quia omnes ejusmodi victimæ legales Christum repræsentabant suo tempore in ara crucis pro peccatis mundi immolandum, sine cujus sanguine non fit remissio; in quem finem leprosi illius ævi mundandi sanguine oblata DEO victimæ aspergebantur, & sic ab immunditia sua legali mundabantur: Omnis enim leprosus typicè figurabat peccatorem, qui à lepra peccati per asperionem & applicationem Sanguinis Christi debet mundari: *Sanguis JESU Christi. Filius eius, emandat nos ab omni peccato.* 1. Jo. 1. 7.

Leprosæ sunt & animæ in igne purgante sua adhuc delicta, in vitandum satis expiata, luentes, quæ, antequam ad cœlestem gloriam & æternam admittantur felicitatem, prius mundandæ sunt per applicationem Sanguinis Christi JESU crucifixi, quod potissimum fit in sacrosancto missæ Sacrificio, ad hoc pro vivis atque defunctis instituto; hinc toties David post admissum delictum ad DEUM ingeminavit: *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor.* Orabat hic pœnitens Rex, ut mundaretur in hac, & non in altera vita, & quidem prout observat Cornelius, *per asperionem Sanguinis Christi, quem prævidit, qui verè est hyssopus sanguineus Agni immaculati, mundans peccata.* Ita etiam S. Ambrosius de Apolog. David Cornel. in 1. Ep. S. Petr. c. 1. v. 2.

S. Vinc. Fer.
serm. de S.
Tho. Cantuar.

4. S. Vincentius Ferrerius Ord. Prædicatorum illustre Sidus, pulcherrimum movet discursum, quòd videlicet DEUS Pater in primo Conceptionis & Incarnationis Filii sui Unigeniti instanti librum predestinationis aperuerit, & hunc dilectissimum Filium suum, Redemptorem nostrum ita fuerit allocutus: *Ecce Fili, quot Sancti in limbo, & quot anima in purgatorio; & nunquam poterunt cælum intrare, nisi per tuam passionem & mortem dolorosam: vis eam sustinere? Respondet: Placet mihi* Hæc Sanctus ille Vincentius. Vide hîc, & perpende Lector prudens! ingentem amorem pietissimi Redemptoris nostri vix incarnati, & nondum in lucem nati erga pauperulas animas in purgatorio existentes, pro quibus non dubitavit toties exinde in passione divinum suum profundere Sanguinem.

Perr. Comest.
in Evang. Hist.
cap. 162.

5. Idè triginta argenteis vendi voluit, ut hac pecuniâ & Sanguinis pretio ager figuli emeretur ad sepulturam peregrinorum & solatium defunctorum, ac præsertim animarum purgantium. Ita Petrus Comestor.

Ludolph.
Carthus. in
vita Chr.

Ideo funibus ac catenis in captivitate sua ligari voluit, ut funes peccatorum nostrorum, & singulariter Patrum in limbo ac animarum in purgatorio existentium dirumperet. Ita Ludolphus Carthusianus

Quaresm. de
Sacris Vulne-
ribus.

Ideò in monte Olivario ter ad Patrem oravit in terra prostratus: Primò pro Justis, secundò pro peccatoribus convertendis, tertio pro animabus in limbo & purgatorio morantibus, ubi observandum, quòd in hac tertia oratione copiosam sanguinem sudaverit. Ita Franciscus Quaresmius citans S. Augustinum.

S. Vinc. Fer.
in Sabb. 5.

Ideò crudeliter flagellari, & cruentis spinis coronari voluit, quarum septuaginta duæ divinum penetrarunt caput, ut Rex tribulatum tribulatis prodesset animabus in igne purgante luentibus. Ita prædictus S. Vincentius Ferrerius.

S. Athanas.
serm. de pass.
& cruce,

Ideò in monte Calvario crucifigi voluit, ubi erant plura occisorum & mortuorum corpora sepulta, & ipse Adam protoparens noster (prout testatur S. Athanasius) cujus calvariam referunt Sacrosancto Christi Sanguine fuisse tinctam de cruce in terram stillante; Et ideò, ait Maldonatus, Lyraeus & alii, sub pede crucis ordinarie calvaria quedam demortui hominis appingi solet, ut primum hominem, per quem mors intravit in mundum, divino Redemptoris sui Sanguine redemptum demonstraret.

Levit. 17. 11.

6. Olim DEUS sanguinem victimarum super altare profusum in peccatorum expiationem adhiberi voluit, unde in Levitico dixit: *Ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expiatis pro animabus vestris, & sanguis pro anima piaculo sit.* Si hoc quondam de sanguine victimarum legalium, quid

quid igitur de divinissimo ac pretiosissimo Sanguine Christi Jesu crucifixi sentiendum? Proinde rectè S. Doctor Angelicus: *In hoc figuratum est, quodd sacrificium carnis & sanguinis Christi valet animabus in pœna purgatorii.* S. Thom. opus. 58.

Agnus ille Paschalis ab Israelitis immolatus non dumtaxat typum exhibuit Sacrificii Eucharistici, quod in missa offertur, sed & Sacrificii cruenti in cruce peracti, cujus innocentis agni sanguine per modum crucis postibus domorum illito, Hebræi, ne ab Angelo vastatore percuterentur, ut Ægyptiis factum est, servabantur immunes & illæsi: *Et sumunt de sanguine ejus, & ponent super utrumque postem &c.* Plus & infinities plus valet Sanguis divini illius Agni, qui semel cruento modo in ara crucis pro nostris delictis oblatu est, & nunc incruento modo quotidie in Ecclesia Dei pro vivis & defunctis offerri solet; unde Sacerdos in missa trina vice repetit pro defunctis: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.* Exod. 12. 7.

7. Nunquam observasti, anime mi! quoties Sacerdos DEO T. O. M. sacrificium in altari offert, quodd Sacra Hostia in tres ab illo partes dividatur, quarum ultima in sacrum calicem immittitur, & sic cum Christi Sanguine miscetur? Sed quare hoc? Grande hic latet mysterium. Respondet S. Doctor Seraphicus: *Prima pars pro vivis Christianis, qui affliguntur; altera reservata intra calicem, offertur ad laudem & gloriam Sanctorum; Tertia pro his, qui in purgatorio sunt, ut à pœnis citius liberentur, & Missæ absolvantur.* S. Bonavent. in exposit. Missæ.

De reliquo quærunt Sacri Doctores, quare ille latro bonus cum Christo crucifixus, tam citò, & sine ullo purgatorio ad paradysum venerit: *Hodie mecum eris in paradiso?* Observa hodie, non cras. Respondet Hugo: *Sacratissimo sanguine Christi latro ille aspersus est, ideoque in ictu oculi cum ipso Salvatore paradysum intravit.* Formo argumentum à fortiori: Si Sanguis Redemptoris nostri animæ hujus latronis applicatus, tam citò illi paradysum impertiit, quanto magis animæ purgatorii in gratia Dei constitutæ, si pro illis in S. Sacrificio missæ à Sacerdote applicatur Sanguis Christi, vel in indulgentiis plenariis, transibunt ad cœlum. Luc. 23. 42. Hugo Hæterianus lib de regress. ani. c. 12.



Gggg 3

CON.